INSIGNIVM GESTORVM
S. ANTONINI MARTYRIS
PLACENTIÆ TVTELARIS
ALIORVMQ. SANCTORVM, QVORVM

Sacra Pignora in eiuſdem Diui Martyris celeberrimo Templo aſſeruantur,

Et pręcipuorum ipſius Templi ornamentorum, ac Priuilegiorum.

SERIES

Breuiter deſcripta, & ex veteribus monumentis deprompta

A PETRO MARIA CAMPO PLACENTINO
eiuſdem inſignis Templi Canonico.



PLACENTIAE, Apud Ioannem Bazachium, MDCIII.

Superiorum permiſſu.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET AMPLISSIMVM S. R. E. CARDINALEM D.D. Petrum Aldobrandinum

IACOBI ANTONII TOVERARII.

INTER Purpureos rutilas qui nomine Patres,
Quæ proſert Campus, munera ſume PATER
Hîc ANTONINI decoratum ſanguine Templum,
Cælicolûm cernes, donaq; Pontificum:
Imperium, Regnumq; capit breuis iſte libellus,
Nobiliumq; vigent hîc monumenta virûm.
Clareat hinc igitur tanto mactatus honore
ALDOBRANDINIS clarior auſpitijs.

AD PLACENTINOS CIVES EIVSDEM.

QVAE latuêre diu, vobis en ordine, CIVES,
Cælicolæ inuicti priſca trophæa patent.
Illius exiguo CAMPVS præconia campo
Muneribus ſacris accumulata notat.
Clara nitent, magis aſt, orbis dum ſplendor in ipſis
ALDOBRANDINI ſidera ſena micant.
Gaudeat his hilari generoſa Placentia vultu,
Quæ tantis digna eſt laudibus vsq; frui.

IOANNIS BAPTISTAE MORI CLERICI PLACENTINI.

ACCIPITE, ò CIVES, violas, & lilia, CAMPVS
Quæ ſpargit, campo munera digna ſuo.
Hic ANTONINI (noſtræ qui præſidet Vrbi)
Abdita iam dudum facta notanda virent.
Inclytaq; Heroum veterum præconia florent,
Nec non Semideûm fortia geſta Ducum.
Iſtius ipſe metes campo, næ CAMPE, laboris
Et famam, & laudem, clara trophæa, decus.

AD D. ANTONINVM PETRI BONACVRSII

Cremon. Carmen.

QVAM tibi firma fides, pietasq; infida ſequenti
Caſtra (nouum) quanta religione nites.
Tu media Europa, Thebæis ductus ab oris,
ANTONINE acer, clara trophæa refers.
Seduni, Antu tes, animoſaq; Gallia teſtes,
Victrices ſoliti ſæpe videre manus.
Clarior at virtus fulſit, dum caſtra peroſus
Infanda, Idolis reddere ſacra negas.
Hinc cedens, Solymos, Aſiam, & loca multa pererras.
Atq; iterum Trebiæ nota fluenta petis.
Pro CHRISTO cæſus, cæleſti ſede receptus,
Vrbe Placentina Templa dicata tenes.
Supplicis & Populi bonus audis vota, precesq;
Fers & opem cunctis, auxilioq; iuuas.

PE-

PETRVS MARIA CAMPVS.

AD LECTOREM.

OPVSCVLVM hoc ab eo cepiſſe exordium, quod in prima ſtatim fronte perſpicies, ne ante quæſo, demireris, Candide LECTOR, quàm quæcunq; hîc de Diui ANTONINI geſtis, noſtræq; Baſilicæ ſplendore, magnificentia, & amplitudine ex veteribus monumentis digeſta ſunt, planius cognoueris eſſe deprompta, & celebrata tantummodo, vt in publica Tabula proponerētur ad intimæ pietatis ardorem in eorum ipſorum mentibus, qui eandem ſacratiſsimam Baſilicam religionis ergô inuiſunt, vel excitandum, vel augendum: licèt aſsiduis poſtea piorum hominum precibus exoratus, ac victus facere minimè potuerim, quin etiam typis publicis eadem illa ad ver-

bum promulgarentur,cum ad maiorem Fidelium commoditatem, tum etiam ad Diui Martyris noſtri nomen latius diffundendum. Ac, ne qua inſuper à te ipſo deſiderari poſſe videatur libelli in primis nuncupatio,hunc quoque à me eidem Ampliſſimo, Illuſtriſsimoque D. D. PETRO CARDINALI ALDOBRANDINO, cui longiorem Vitæ ipſius Sancti ANTONINI,totiuſque martyrij, & inclytè geſtorum narrationem Italica lingua editam libentiſsimè dicaui;iam ſimul dicatum, & conſecratum eſſe ſcias, velim. VALE.

INSI-

INSIGNIVM GESTORVM
S. ANTONINI MARTYRIS
PLACENTIÆ TVTELARIS ALIORVMQVE SANCTORVM,

quorum Sacra Pignora in eiuſdem D. Martyris celeberrimo Templo aſſeruantur,

Et præcipuorum ipſius Templi ornamentorum, ac Priuilegiorum

SERIES

Breuiter deſcripta, & ex veteribus monumentis deprompta.

A PETRO MARIA CAMPO Placentino eiuſdem inſignis Templi Canonico.

CIVIS, AMICE, ADVENA.

HAEC te operæ pretium eſſe tabula admonet, precibus DEO ſuppliciter fuſis, mox vt hîc aſſiſtas, celeberrimiq; huius Templi antiquitatem, ſplendorem, Sanctorum Reliquias honorificè conditas, monumenta plurima, & præclara, inſignis Collegij dignitatem, amplitudinem, priuilegiorum ornamenta legendo pernoſcas. Nam haud dubiè, & delectationem ex antiquitatis cognitione percipies, & pietate affectus ipſam Baſilicam Diui Martyris ANTONINI Placentiæ Patroni titulo miranda ex cauſa (vt intelliges) inſignitam, ſanctiſſimo corpore ditatam, patrocinij aſſiduitate munitam, memori ſaltem, ac religioſo animi acceſſu ſæpius, cupidiusque reuiſes.


S. ANTONINVS MARTYR
PROTECTOR PLACENTIÆ

Inſignia Diui ANTONINI *geſta glorioſo Martyrij triumpho conſummata.*

ANTONINVS Apameæ ex nobilibus parentibus anno circiter ducenteſimo, & ſeptuageſimo humanæ ſalutis ortus, adoleſcens illuſtri Thebæorum legioni aſcriptus, Duce glorioſo MAVRITIO, militiæ operam dedit. Cum verò impiùs ille Maximianus Imperator, ducto in Galliam exercitu, in finibus Sedunorũ ſacrificij cauſa conſtitiſſet, Chriſtianaq; ipſa Thebæorum legio, ne pollueretur, à reliquis copijs illicò auulſa, nullis minis, nullisue terroribus incuſſis in caſtra ad Sathanicos ludos, & quàm maximè nefanda ſacra redigi potuiſſet; primò decimus quisque ad ſupplicium tracti, poſteà reliqui ferè tam diro ſpectaculo à CHRISTI confeſſione minimè deterriti, irruente tyranni exercitu immaniſſimè trucidati. Ac licet ANTONINVS trini, vniuſq; DEI cultu tuendo, idolorum adoratione reſpuenda, Saluatoris noſtri fide aſtruenda, nullo inferior, nullo ſegnior pellicientem verborum lenitatem eludens, tormentorum ſæuitiam contemnens, libentiſſimè ſanguinem, vitamq; profudiſſet, vltrò ceruices daturus, vltrò pectus, lateraq; obiecturus; DEO tamen ſeruante, & ad maiora vocante inclytus miles, vnàq; alij perpauci illæſi, incolumesque inde euasêre; alij aliò iter contendentes. Ipſe verò ANTONINVS multis peragratis regionibus Placentiam peruenit, vbi quàm plurimos, in primiſq; Feſtũ Principem, ac ditiſſimum virum ab idolorum cultu ad Chriſtianæ fidei religionem aſſidua diuinæ legis enunciatione traduxit. Atque haud ita multò poſt, adhibito ſibi comite Ioanne Placentino Presbytero, in alias etiam orbis terræ partes, & præſertim in ſanctiſſima Hieroſoly-

morum

morum loca peregrinationem piè, ac religioſè ſuſcepit. Verùm Ioanne ipſo iam mortuo, & Capharnaum in Vrbe ſacrarum literarum monumentis celebrata ſepulto, Placentiam regreſſus, eodem adhuc ſęuiente nefario Imperatore, cum CHRISTVM ardentius prædicare non deſiſteret, eiusq; fides ab infeſtis, ac inſidioſis tyranni ſatellitibus variè tentata conſtantior permaneret; vltrò vir Sanctus in Agro Trabani obuiam factus, & ab eis correptus ſęuiſſimè excruciatur; ad ripam demum ſubterfluentis Trebiæ abſciſſo ab ceruicibus capite martyrio feliciter coronatur 4. non. Iulij. Iã verò eius corpore à nefarijs hominibus in flumen ipſum Trebiam deiecto, ſanguis cum in vnum coactus fluitaret, in vrceo diuina prouidentia per Angelos collectus vnà cum capite in nauicula mirabiliter imponitur: quæ item ab Angelis duobus in ſpeçie Aquilarum per idem flumen deducta ad Feſti Principis domum applicuit Vrbi Placentinæ proximam, quæ nunc Templum S. MARIAE de Curtina vocatur. At Feſtus, Domino indicante, agnoſcens venerandum ANTONINI caput ſibi deſtinatum illud idem repetere hoſpitium, vnde olim diri Imperatoris metu Chriſtianus miles adhuc inter mortales degens excluſus fuerat; illicò domum ſatis, vt fieri potuit, decenter exornat, ſacras Reliquias excipit, reconditq; exoſculans, & præ gaudio illacrymans. Sed & ſanctum Diui Martyris corpus poſtridie diuino monitu repertum, & inde, vbi paſſus fuerat, (qui ſanè locus millia paſſuum ferè quindecim ab Vrbe noſtra diſtat) vndis ſponte ſua cedentibus, ſublatum, in eandem domum maxima cum fidelium omnium lætitia deferendum curauit, multa interim mirabilia faciente DEO ad præclaras, & inſignes ipſius Martyris exuuias. Procedente verò tempore hiſce pignoribus adeò charis, adeò pretioſis à noſtræ Religionis

hoſtibus

hoſtibus idem Feſtus metuens, qui vel in Corpora Sanctorum tumulis mandata in dies magis deſæuirent, eà in puteum gratè, religioſèq; compoſita abdidit, quem hodie quoque contueri eſt in eadem S. Mariae Eccleſia: quò maximè ſiccitatis temporibus Clerus, Populusque ſuppliciter procedentes ex perantiquo more puteum ipſum aperire conſueuerunt, & inclyti Martyris deprecatione aridam terræ faciem opportuno imbre perfundi ſæpiſſimè animaduertunt.

Eiuſdem Diui venerabile corpus à Beato Sauino Dei monitu inuentum.

Complvribvs autem poſt annis, cum iam ipſum Patroni, & Martyris Antonini miraculis clari nomen apud Placentinos celeberrimum eſſet, ipſius verò ſepulcrum adhuc ignotum deliteſceret; hoc quoq; à B. Savino ſecundo huiuſce Ciuitatis Epiſcopo (cuius glorioſè meminit S. Gregorivs Papa in libro Dialogorum) diuina admonitione inſtructo, cum toto Clero, ac magna Populi veneratione effoſſa terra inuentum eſt; indeq; Martyris glorioſum corpus, & caput à corpore abſciſſum vnà cum vaſculo recenti etiam tum ſanguine pleno, perinde, ac ſi paulò ante fuiſſet infuſus, Sanctus ille Præſul in hanc Baſilicam Diuo Victori Martyri tunc conſecratam transferre ſtudebat, cum non ſine miraculo gutta recentioris ſanguinis è corpore emanans certiſſimum martyrij præbuit teſtimonium: quin etiam, cum vnus tantum ipſe adeſſet Epiſcopus, ſex alij incogniti Antiſtites ex improuiſo affuerunt, qui Pontificio ipſi quoq; ornatu venerabiles Reliquias ab ſeſe cohoneſtatas Nouembris Idibus ſumma cum religione condiderunt in tumulo S. Victoris primi Placentiæ Epiſcopi, & Confeſſoris, eiuſdem ipſius

Baſilicæ

Baſilicæ conditoris, qui antea viuens inter cętera virtutum inſignia, etiam diuino ſpiritu afflatus prædixerat poſt ſuum obitum fore, vt maior ſe in eodem illo tumulo collocaretur. Quocirca eius oſſa Martyri ANTONINO digniore loco repentè, omnibus, qui tum aderant, aſpicientibus & ſtupentibus, conceſſo, in vrnæ ſuæ partem ſeſe recepêre: ex quo etiam tempore hæc ipſamet Aedes S. ANTONINI Martyris cæpta eſt nuncupari. Quòd ſi quis huius Sancti vitam, martyrium, & miracula noſſe velit, Petrum Natalem adeat, qui ea in Catalogo Sanctorum, licèt perauguſtè, deſcribit lib. 8. cap. 133. Qui quidem non video, quamobrem eiuſdem libri cap. 24. ea ipſa, quæ de mirabili Angelorum obſequio, & cymbæ appulſu memorata ſunt, alteri eiuſdem nominis Sancto Martyri attribuat, rèclamantibus præſertim antiquis admodum huius Eccleſiæ manu exaratis Codicibus, & veteri Placentino Breuiario, in quibus hæc eadem, plurimaq; alia Diui Martyris inclytè geſta fuſius explicantur, atque permultis depictis tabulis, vetuſtioribusque picturis, quæ tum hîc, tum alibi extant, magis, ac magis confirmantur. Quæ poſtea non inconcinnè celebrata Heroico carmine complexus eſt Franciſcus Bernardinus Cypellarius in ſuo Panegyrico Diui ANTONINI Martyris, ſapphico autem, adonioq; verſu Federicus Scotus Comes, & Patritius Placentinus ſummatim refert in princ. lib. 5. carminum. Multa præterea huc pertinentia petant per otium, qui cupiunt, ex Commentarijs, quos Italica lingua eleganter conſcriptos edidit Gulielmus Baldeſſanus à Carmagnola Theologus de ſacra Thebæorum Hiſtoria.

Antiquiſſima Baſilicæ extructio, & conſecratio.

EXTRVCTA eſt autem, & conſecrata hæc ſancta, &

inſignis Baſilica à S. VICTORE primo (vt diximus) noſtræ Ciuitatis Epiſcopo in meridiana, vt iam viſitur, plaga ſtatim extra Vrbis murum; verum aucta Vrbe ipſam mœnibus incluſam Placentinus Populus ad maiorem ſimul DEI gloriam, ac Patroni ſui honorem, ampliorem multò, & auguſtiorem fecit. Quam deinceps immani Barbarorum feritate ſæpius combuſtam, ac penè dirutam ſanctę memorię Sigefredus noſter eo tempore Epiſcopus eius no-



minis ſecundus miro opere excitauit, & in hanc ampliſſimi Templi formam redegit, vt ex eius diplomate perſpicuum habetur, anno Domini 1014. Atque eandem ſemel, ac iterùm inſtauratam Canonici ea parte, quæ Chorus vulgò dicitur, nouiſſimè adauxerunt anno 1562.

Fidelium donationes, priuilegiaq;, & prædia huic loco ab Imperatoribus, Regibusúe attributa.

HANC porrò Baſilicam varijs Fidelium munuſculis ab initio ornatam fuiſſe planè ſignificant multæ, & publicæ,

quæ

quæ in Tabulario, ſiue (vt hodie loquimur) in Archiuio extant antiquiſſimæ donationum literę; ſed vt ad ſummam gloriam eueheretur, amplioribus poſtea bonis, poſſeſſionibus, & prædijs attributis, ingentibus quoque theſauris (qui mox anno 1164. in Germaniã ab Arnaldo Barbauara Germano Placentiæ Prætore aſportati fuêre) opulentis muneribus, & multis priuilegijs conceſſis, hanc ipſam valde ditarunt, auxeruntq; quondam Sereniſſimi Imperatores, & Reges, qui ſua ita demum Regna plurimũ propagari poſſe ſibi perſuadebant, ſi ſacrarum Aedium tutores extitiſſent, earumq; prædia ex omni parte maioribus quotidie incrementis dilataſſent. Quæ cauſa quoq; fuit CAROLO MAGNO illi ſanctiſſimo Imperatori anno 774. cõfirmandi vbique Epiſcopis, Canonicis, & Abbatibus veteres Eccleſiarum, ac Monaſteriorum poſſeſſiones à Longobardis, alijſue ante conceſſas, & nouas eiſdem attribuendi: qui quidem multa propterea illis ipſis temporibus huic etiam Tẽplo donauit, vti patet ex eorum omnium confirmatione poſtea à Ludouico ipſius Caroli filio, eodemq; religioſiſſimo Imperatore obtenta imperij ſui anno ſexto, V. Cal. Maij, indictione 12. Quod item fecit Carolus Tertius cognomento Craſſus Imperàtor, (cuius ſoror Angilberga Ludouici conſanguinei ſui Imperatoris coniux nobile S. Sixti in Vrbe noſtra Fanum ædificauit, dotauitq;) qui in CHRISTI gratiam, Venerabiliſq; Luituardi Epiſcopi Archicancellarij ſui rogatu Templum hoc, Canonicos, & bona S. ANTONINI non ſolùm in fidem ſuam recepit, commendatiſſimaque habuit, ſed etiam donationes, ac priuilegia omnia, quæcunq; fuerunt eiſdem tam per proauum ſuum Carolum Magnum, quam per alios Auguſtiſſimos Cæſares, auum Ludouicum, D. Lotharium patruum, maximè verò per glorioſiſſimum, atq; inuictiſſimum Imperatorem Ludoui-

Ludouicum conſanguineum conceſſa benignè conſtabiliuit. Munera quoque, & omnes Regum Longobardorum Luitprandi, ac Deſiderij ingentes donationes (quorum omnium diplomata ſimul cum tota Vrbe incendijs olim conſumpta fuiſſe ipſe teſtatus eſt) non inuitus comprobauit, & omnino corroborari voluit; permagna denique alia prædia pro Lotharij quondam benigniſſimi Regis, & Imperatoris manibus expiandis ita gloriosè, vt gratè addidit in Caſtellana, Solarolo, & alijs Placentinis pagis, de quibus in eodem Archiuio ad perpetuam rei memoriam tria habentur priuilegia publicis conſignata monumentis, primum Papiæ datum, 5. Idus Maij, alterum item Papiæ Idibus Nouembris, tertium Placentiæ 5. Cal. Ianuarij indictione 14. anno Incarnationis Domini 881. imperij ipſius Caroli 1. regni in Francia 5. in Italia 2. Hugo etiam & Lotharius Italiæ Reges, Placentiæ cum eſſent, anno eiuſdem Incarnationis Domini 943. Regni Hugonis 17. Lotharij 13. indictione prima, quæ, & quanta conceſſerint ex eorũ priuilegio dato 5. Idus Martij notiſſimũ eſt; memores nanque, & grati animæ aui ſui Lotharij Imperatoris, cuius corpus in hac eadem Baſilica humatum quieſcere ipſi Reges perſpicuè affirmarunt, libenter eleemoſynę nomine, ac pro Lotharij, animarumq; ſuarum ſalute ſortes duas (ſic enim ampliſſima prædia appellabant) in Villis Gabiani, & Fabricæ condonarunt, aliam item in Flabiano adijcientes pro anima Petri cuiuſdam ſtrenuiſſimi militis, qui ob ſummam fidelitatem ſuam ſub mœnibus Placentinę Vrbis interierat, in atrio eiuſdem Baſilicæ ſepulti: prætereà verò donationes omnes, & iura (id quod ante Hugo ſolus Papiæ 15. Cal. Maij anno 931. Sigefredi Placentiæ Epiſcopi, & Conſiliarij ſui precibus præſtiterat) priuilegiaque omnia ſacræ huic Aedi ab Imperatoribus Carolo, Lotha-

rio,

rio, cæterisq; Regibus, nec non ab alijs quibuſcunque religioſis, & DEVM piè timentibus viris collata vel conferenda, rata omnino, & grata habuêre, atq; etiam ipſius Sacerdotum, & Cleri patrocinium ſtrenuè ſuſceperunt. Rogati pariter ipſimet Inuictiſſimi Reges à Boſone Placētino Præſule Archicancellario ſuo 17. Cal. Martij, 944. manſum (vt tunc ingentem fundum vocabant) in Ancharano eidem largiri ſunt Eccleſiæ. Otho Tertius itidem Auguſtiſſimus Imperator innumerabilibus alijs conceſſionibus ipſam decorauit, & ornamentis plurimis ditauit, vt planè conſtat ex eius publici priuilegij documento 14. Cal. Februarij, 997.

Diuerſæ Placentinorum Epiſcoporum donationes.

HANC verò tantam, tamq; magnificam liberalitatem, & eximiam Regum, ac Principum pietatem imitati complures ſanctæ Placentinæ Sedis Epiſcopi huic eidem loco plurima ſuæ Menſæ bona & iura gratiſſimè attribuerunt, vt de Sigulfi Epiſcopi iam olim donatione planius compertum eſt, anno 981. ac etiam de præcipua illa ſemper commemoranda, nunquam ſatis dignè commendata Sigefredi ſecundi beneficentia, qui poſt Templum à ſe (vt diximus) reſtitutum, & conſecratum 1014. tot, & tanta eidem prædia, tamque magnos redditus munificentiſſimè donauit, eiusq; Fabricæ (modò Coopercuram appellant ab honorifico plumbearum tegularum tecto, quo hæc vna apud nos Aedes decoratur) nominatim deſtinauit. Quæ omnia Petrus, Aigardus, Iuo, Guido, Dionyſius, Arduinus, Tedaldus, Arditio, Bernardus, & alij plurimi, qui ſucceſſerunt in Epiſcopatu, libentiſſimi omnes profectò confirmarunt, compluribusque alijs bonis de ſua menſa ſublatis conceſſiones Superiorum valde amplificarunt.

Priuile-

Priuilegia item plurima, & præclara Romanorum Pontificum.

HVC etiam accedit, quod Summi Romani Pontifices, quorum omnium priuilegia fideliter aſſeruantur, Innocentius, ac Cœleſtinus Secundi, Eugenius Tertius, Adrianus Quartus, Alexander, Lucius, Vrbanus, Clemens, Cœleſtinus, Innocentius, & Honorius Tertij, Gregorius Nonus, Innocentius, & Alexander Quarti, Innocentius Octauus, Iulius Secundus, Leo Decimus, Clemens Septimus, & alij permulti, quos longum eſt commemorare, Apoſtolicæ ſuæ auctoritatis dexteram hiſce gratijs, hiſce conceſſionibus tendentes, huius Collegij Præpoſito, & Canonicis præter alias prærogatiuas perpetuam donarunt iuriſdictionem, & dominatum in multis Placentinis Eccleſijs, in primisq; in S. MARIAE de Curtina propè ipſam Baſilicam ad Occidentem, præcipuè ob reuerentiam eiuſdem S. Martyris noſtri, cuius ſacratiſſimo Corpore locus ille prius fuerat exornatus. In Eccleſia item Sancti ANTONINI loci Plectolarum nuncupati, quæ iam per eundem Dionyſium Placentinum Epiſcopum pro S. Syri Templo Canonicis ipſis permiſſa fuerat. Tum in Aede Gragnani Sancti Michaelis appellata, quam item ab optimo olim Placentię Epiſcopo Arduino eius pręcipua in hoc Collegium pietate conceſſam legimus anno 1131. 4. Idus Maij indictione nona: quo quidem in loco Canonici facultate ſibi per incolas, & habitatores facta ex publicis Petri Sauini Notarij tabulis 1217. Cal. Ianuarij Conſules quotannis legere conſueuerunt. Roncaliæ etiam (vbi tot leges ab antiquis Imperatoribus latas memoriæ proditum eſt) in Eccleſia S. Bartholomæi, quippe quæ per Canonicos ipſos in fundo iuris S. ANTONINI à fundamentis conſtructa ſit anno circiter 1135. atque ibi quoque ſolebant à Canonicis Conſules ſingulis annis eligi.

Hos inſuper Canonicos ſupremi ipſi Pontifices alijs ſingularibus honoribus decorarunt, eis non ſolùm integram Præbendarum huius Eccleſiæ collationem reſeruando, & conſeruando; verùm etiam omnem confirmando iuriſdictionem, ac plenam poteſtatem cum iure inſtitutionis, correctionisq; in Plebe, ſacris Aedibus, & Sacellis, ſiue (vt nunc aiunt) Capellis Burgi Valliſtarri; quæ etiam eiſdem præſente, aſſentienteq; Oberto Bobienſi Epiſcopo (quemadmodum ad ipſos Canonicos, non ad eius Eccleſiam ſpectare dicebantur) adiudicata fuiſſe publicis conſignarunt documentis Ioannes Tabernarius ad Alcherij notarij ſchedam 8. Idus Iulij 1221. Gulielmus Cognus, & Petrus de Mezano 8. Idus Maij, & 7. Cal. Octobris 1222. In Burgi Aede, quæ ibi primum locum nunc obtinet, Archipresbytero, & Collegio ornata, per ipſos Burgenſes titulo, & ad honorem S. Martyris Antonini condita, 1226. 3. Cal. Aprilis ex probato Iacobi de Bardo notarij teſtimonio, Anſaldus de Carrio eo tempore hîc Præpoſitus ſolenni ritu Crucem immiſit, fixitq; ad Orientem, quâ quidem antiqui Burgi murus continens erat. Statuta quoque, ac leges ad moderandos illorum Clericorum mores Collegiũ hoc ſæpius, & præſertim 3. Idus Septembris 1340. ſanciuit, ex publico Michaelis Muſſi notarij documento.

Ad extremum mandarunt Sanctiſſimi Romani, quos proximè recenſuimus, Paſtores hanc ipſam Baſilicam cum Clericis, ac rebus, & bonis omnibus etiam in poſterum acquirendis, priuilegijsq;, & immunitatibus ſuis ſub Apoſtolicæ ſedis præſidio, & ampliſſima tutela ſartã tectã perpetuò ſeruari, ab homine nemine perturbari, eorũq; poſſeſſiones, & prædia minimè auferri, ſeu ablata retineri; minui, decimarumue exactione grauari, nec alias vllas ipſis moleſtias inferri; ſed integra, & illibata omnia eiſdem

conſeruari, ad quorum vſus neceſſarios omnino conceſſa eſſe teſtatum eſt.

Sanctorum Corpora, ſacraq; Reliquiæ honorificè condita.

QVOD autem ad Sanctorũ Corpora attinet, quæ hîc ſepulta ſanctè veneramur, & colimus; in primis duo ſub maximo Altari in vno; eodemq; tumulo honorificè ſunt condita, ſcilicet anteriori parte Oſſa, Corpuſue ipſum S. Martyris ANTONINI Placentiæ Patroni: cuius martyrij Feſtus dies, atque ſolennis 4. nonas Iulij, Inuentionis autem Idibus Nouembris ſumma celebritate peragitur. In poſteſteriori verò Corpus S. VICTORIS primi Placentiæ Epiſcopi, & Confeſſoris doctrina, & vitæ ſanctitate olim conſpicui, cuius etiam celeberrima Natalitia 7. Idus Decembris coluntur; quemadmodum & eiuſdem huius Tēpli anniuerſaria Dedicationis dies 4. Idus eiuſdem menſis Decembris celebratur. Hæc duo ipſorum Sanctorũ Corpora Fabio Cupallata Placentino Epiſcopo Laquedonenſi recognita anno Domini 1562. maximaq; cum Cleri, ac Populi religione culta fuiſſe teſtantur Marci Antonij Ripaltæ Notarij, & nobilis Placentini Ciuis publica documēta 15. 14. & 5. Calen. Decembris eiuſdem anni 1562. confecta.

In eo etiam Altari ſubter lapidem magnum ſuperiorem aſſeruantur nonnullæ S. IACOBI Apoſtoli Fratris Domini; Sanctorum item STEPHANI Protomartyris, LAVRENTII, SIMPLICII, & FAVSTINI; CHRISANTHI, & DARIAE; NEMESII, & LVCILLAE Martyrum, ac S. OPILII Confeſſoris Reliquiæ in plumbea, & decenti vrnula repoſitæ per Illuſtriſsimum ac Reuerendiſs. PHILIPPVM Segam olim Placentinum Epiſcopum, mox etiam S. R. E. Cardinalem

ipſo eiudem Altaris conſecrationis die, qui dies fuit 8. Idus Maij 1583. ex publica Franciſci Tarauelli Fratini notarij chartula.

Subproximo Altari Natalis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, quod etiam Sanctis Nicolao, Caſto, & Deſiderio dicatum eſt, ad dextrum cornu (id eſt Euangelij) principis Aræ extructo, Corpora Sanctorum CASTI, & DESIDERII Martyrum conquieſcunt, multis iam abhinc ſæculis eò tranſlata, & condita, quæ nuper Illuſtriſſimo, Reuerendiſſimoq; CLAVDIO Rangono Placentiæ Epiſcopo ibidem inuenta, & in plumbeo loculo honeſtius collocata ſunt 8. Cal. Decembris 1599. duobus hac de re publicis extantibus monumentis eo die per optimos viros Antoninum Mareſcalcum, Dominicumq; Malchiodum Notarios conſcriptis. Ex huius S. DESIDERII oſſibus aliquas inſignes particulas deſumptas à Collegio hoc de S. Sedis Apoſtolicæ facultate, Vniuerſitas, & homines Caſtrinoui Scriuiæ Dertonenſis Diœceſis obtinuerunt anno Sanctiſſimi Iubilæi 1600. qui cum ipſum Sanctum vti Tutelarem, & Patronum colant, eaſdem ad ſuam Parochialem Sancti DESIDERII Eccleſiam tàm honorificè, quàm hilarè deferendas curarunt, binis item hac de re publicis tabulis apparentibus nobilis viri Ioan. Petri Dordoni notarij, alteris 3. Cal. alteris verò Cal. ipſis Decẽbribus eiuſdem anni 1600. Paſſi ſunt S. Martyres, CASTVS in Africa pro CHRISTI nomine multa, & grauia expertus ſupplicia, qui denique martyrium igne compleuit. DESIDERIVS autem Lingonienſis Epiſcopus in Gallia (Honorio, & Theodoſio Imperatoribus) qui cum plebem ſuam diutiſſimè obſeſſam ab exercitu Vandalorum impiè diuexari conſpiceret, murum ipſum Vrbis conſcendens, iracundiæ tyranni ſæpius ſeſe obiectans, gladio tandem obtruncatus

truncatus pro grege ſuo: libenter, & alacriter mori non ex-timuit. Eorum quoq; ſancta, & celebris memoria, licet alibi martyrij die coli videatur, CASTI ſcilicet 8. Kal. DESIDERII autem 10. Cal. Iunij, apud nos tamen vno, eodemq; die, pridie Cal. Octobris recolitur; quòd eo ipſo fortaſſe die eadem Sanctorum Corpora ſint hunc in locum aliàs illata.

Sub Altari præterea S. OPILII, olim S. Stephani, appellato, quod cernis ad læuam è Templo Occidentem verſus egredientis, conquieſcit Corpus S. OPILII Diaconi Confeſſoris Placentini ex nobili Ficiariorum familia. Is ſacræ illi Corporis Diui ANTONINI Martyris Inuentioni præſens Crucem Acolyti more ferebat, qui, vbi VICTORIS Epiſcopi oſſa Martyri locum cedere inſpexiſſet, repente commotus, & diuino calore ſuccenſus vitam deinceps virtutibus, & miraculis glorioſam ſanctiſſimè degit: nihil enim aliud, niſi cœleſtia eius animus meditabatur; tantó huiuſce Templi deſiderio tenebatur, vt fere nunquā diſcederet ieiunijs, & obſecrationibus hic DEO ſeruiens diu, noctuque: ſæpiſſimè etiam totos dies ieiunus tranſigens, quæ pro reficiendis viribus mater illi mittebat, egenis libenti animo elargiebatur, cibo alio longè præſtantiori, pia meditatione, & aſſidua ſacrarum literarum lectione vſus. Aegrotos autem ſanauit, Dæmones ex hominum corporibus eiecit, aliaque multa mirabiliter egit, quibus illius ſanctitatem notam DEVS eſſe voluit: denique bonorum operum meritis cumulatus, cum etiam à MAVRO eximiæ ſanctitatis Epiſcopo Placen. Diaconus factus fuiſſet, quieuit in Domino 4. Idus Octobris tota facie mirum in modum radiante, eiusq; corpore ſuauiſſimum odorem ſpirātē. Quo etiā die nos Sancti huius Natalitiam ſolennitatem celebramus, eiuſdem verò Tranſlationem 6. Idus

 Maij,

Maij, quæ anno 1495. Fabricio Marliano tunc Placentiæ Epiſcopo ſummo honore peracta legitur ex publico Georgij Bilegni documento, & ex Sacrarij Codice accepti, & expenſi illius temporis. S. GELASIVM natu minorem hic habuit germanum, cuius glorioſo corpore Auguſtiſſima S. SAVINI Baſilica mirificè illuſtratur.

Adſunt & aliæ complures certæ diuerſorum Sanctorum Reliquiæ, quæ in elegantibus ad id comparatis thecis reconditæ ſolenni pompa præcipuis feſtis diebus exponuntur Populo venerandæ.

Adeſt item PARS Brachij cum manu, & digitis pueri ex SS. Martyribus Innocentibus ab Herode crudeliſſimo Rege interfectis, quæ in anniuerſaria eorum ſolennitate à Fidelibus ſumma cum religione colitur.

Vna etiam ex SPINIS Coronæ D.N. IESV CHRISTI, quam in maiori Hebdomada poſt abſolutum Matutinum 5. Feriæ per Vrbem ampliſſimo honore delatam nō modò Clerus huic Templo addictus cum albis funalibus, & choro Muſicorum, ſed etiam Populus frequens pia veneratione comitatur. Quam poſtmodùm SPINAM in Altari propoſitam illis ſacris diebus omnes aſſiduè inuiſunt, & flexis genibus, lacrymisque profuſis adorant. Huiuſmodi autem Reliquiarum primas à Bartholomæo Cogno huius Eccleſiæ Canonico 6. Cal. Iunij 1376. alteras ab hæredibus Ioannis Surdi Placentini Vachienſis quondam Epiſcopi, hocq; ipſo in Templo antea ad Præbendam de S. GEORGIO nuncupatam Canonici 5. Nonas Maij 1392. Collegium ipſum reuerenter excepit, vt clariſſimis ſcriptis conſignatam memoriam publicam habemus à Benedicto de Filijs Michaelibus, & Antonio Sariano tunc probatis notarijs Placentinis, & huius Eccleſiæ Collegij cancellarijs.

 Placen-

Placentinorum Præſulum, Imperatorum, Reg. mùc, & aliorum clariſſimorum virorum oſſa hic conquieſcentia.

In hac eadem Aede nouiſſimam cæleſtis nuncij tubam expectant quindecim alia Reuerendiſſimorum Placentiæ olim Epiſcoporum corpora, nempe (vt refert Vmbertus Locatus Placentinus Balneoregienſis aliàs Epiſcopus in ſuo libro Chronicorum Placentiæ) Auiti, Placidi, Siluani, Ioannis, Seufredi, Syri, Vindemialis, Ioannis Secundi, Catharisini, Donini, Placentini, Ioannis Tertij, Andoardi, Thomæ, & Sigefredi Secundi. Hi quidem omnes poſt S. Mavrvm Tertium Ciuitatis Epiſcopum, cum Sanctæ Placentinæ Eccleſiæ multos annos præfuiſſent, eiq; cunctis in rebus maximè profuiſſent, è vita cedentes hac in Aede Diui Martyris, & Patroni alius alio religioſius humari voluerunt, in quam etiam, dum viuerent, Patres optimi, memores, & grati aſſiduã, admirandãq; pietatẽ præ ſe tulerant; quippe qui omnes in ea militares Duces, & nobiliſſimos quosque Ciuitatis, & ſuburbiorum viros magna cum religione tumulis mandatos perſpexerant. Ipſorum poſteà præclaro exemplo Vicedominus Coſſadocha, Hugo Pillulus, Rugerius Caccia, Petrus Coconarus, & alij, qui etiam Placentini omnes Epiſcopi fuerunt, anniuerſarijs legatis eandem ipſam Eccleſiam non paucis condonarunt.

Hîc præterea quieſcunt Oſſa Luitprandi Regis Longobardorum, auctore eodem Locato, quæ, vt etiam acta Ciuitatis antiqua manu ſcripta teſtantur, ad gradum ipſum ianuæ alterius magnæ in veſtibulo, ſiue (vt vulgò loquuntur) in Paradiſo putantur eſſe condita, vbi magnus lapis oblongus proximis ſuperioribus annis extabat.

Hîc deniq; ſita ſunt Oſſa Lotharij quondam pietate celeberrimi Regis, & Imperatoris, qui filius fuit Lotharij pri-

mi, Caroliq; Magni pronepos. Cum enim Roma reuertens Placentiæ obijſſet 8. Idus Auguſti 869. humatum illum in hac ipſa Baſilica plurimis ab ipſo bonis donata fuiſſe certiſſimum eſt apud omnes probatos Hiſtoricos, in primisq; apud Robertum Gaguinum, Carolum Sigonium, & alios, præter grauiſſimum, quod ſupra habemus, teſtimonium Caroli Craſſi Imperatoris, Hugonis, & Lotharij Regum in publicis ipſorum priuilegijs. Ex Placentinis quibuſdam vetuſtiſſimis actis Lotharij Oſſa in arca magna, tumuloue lapideo inuenta fuerunt anno Domini 1471. Iacobo Romano Præpoſito, quo etiam tempore Templi pauimentum conſtratum, ſedesq; Chori per honorificas, & alteram campanam maiorem (anno poſt primam quadrageſimo octauo) fabricatam accepimus.

Inſignis Canonicorum, & collegij dignitas, beneficiorumq; ac beneficia obtinentium nuncupationes, & vocabula.

Ecclesia hæc inſignis, & collegiata, præter Cathedralem longè ante alias digniſſima 15. Canonicorum numero, præterea Præpoſito, qui ſummum dignitatis gradum obtinet, perornatur. Hi rebus ampliſſimis aucti multis honoribus gaudent eius olim (vt notum eſt in Placentino Præſule deligendo habebant, ad maiorem loci amplitudinem, reuerentiamue Almutias (ſic enim appellant pelles illas, quibus operam diuinis officijs dantes vtuntur) deferunt, & vti in dignitate conſtituti ex priuilegio Clementis VII. Pont. Max. vniuerſæ Ciuitatis Placentinæ precibus conceſſo 11. Cal. Aprilis 1524. cauſas cognoſcere, decidere, ac terminare poſſunt. Ipſorum autem antiquæ Canonicales quindecim Præbendæ, maior, de medio, & media de Gragnano, maior, & minor de Roncalia, vna de S. Georgio,

Georgio, alia de S.Damiano, reliquæ de Suzano, Ralio, Bigonentio, Furnarina, Potentiano, Burgeto, Lugagnano, & de Valeria, veteribus vocabulis appellantur, omnes ex primis illis Fidelium, præcipuisq; Regum, Imperatorum, & Antiſtitum donationibus olim erectæ, & inſtitutę; Quintadecima excepta, quam Petrus Cardinalis Dianus Placentinus, & hic Præpoſitus (vt infra dicetur) erexit; exceptis item quibuſdam alijs Præbendis in antiquarum inter ſe connexarum locum ſuffectis.

In eodem quoque Templo Manſionarij ſex, Capellanique, vel Præbendarij tredecim adnumerantur, qui & ipſi ferentes Almutias longè diſſimiles Ioannis Cardinalis Saluiati Placentiæ Legati conceſſu anno 1525. dies, noctesq; diuinis laudibus aſſiduè, & ſanctè inſeruiunt. Quorum quidem tres primæ Manſionariæ à Capitulo 1247. ex Innocentij IIII. reſcripto prima ſcilicet de Gragnano, altera de Puteopagano, & tertia de Zeneureto, nuncupatæ; aliæ quæ ſequuntur, duæ ab Arduino, & Bernardo Placentinis Epiſcopis, & ſexta à Hieronymo Mazzola Canonico conſtitutæ fuerunt: Prębendæ verò vndecim à ſanctę recordationis GREGORIO DECIMO, de quo infra, necnon à Lantellino Odulano, Andrea Zuino, Gulielmo Spectino, Antonio Coſſadocha, Manfredo Caſtignolo, Gulielmo Bagaroto, Romano de Groppodugario, Razone de Caſtronouo, Armano Nicello, & Ioanne Contino Placentinis omnibus, & huius Eccleſiæ Canonicis; aliæ (quę ſunt octo aliquibus item annexis ſubſtitutæ) à laicis hominibus Ciuitatis, & populi Placentini erectæ.

Placentinorum omnium eximia, & ſingularis pietas ergà Diuum Martyrem Patronum.

ETENIM ipſorum Ciuium gratiſſima ſemper, & pia

memo-

memoria extitit erga Martyrem Patronum, & defenſorem ſuum; propterea quòd huic etiam celeberrimæ eiuſdem Baſilicæ innumerabilia penè legata, plurimoſuè anniuerſarios redditus quocunq; tempore largiti ſunt. Hinc quoque ad perpetuum, ac perennem ipſius Patroni honorem tot Altaria, tot Sacella per eos vbique extructa, Aedesque ſacræ cõplures eius inclyto nomini dicatæ, & liberaliter dotatæ. Hinc Trabani loco, Macineſſij, Montisalti, Bedoniæ, & Burgi Valliſtarri quinq; præcipuæ Archipresbyterales Eccleſiæ conſpiciuntur: in Agro item Plectolarum, Albarolæ, Caſtilioni, Corani, Ronchi, Vicomarini, Vairaſchi, Nibiani, Fenocchieti, Inſulæ ſub Complano, Siluæ, & Ozolæ, alijsque partibus Placentinæ Diœceſis aliæ Parochiales omnes Diuo Martyri conſecratæ. Hinc Caſtrum illud S. Antonini appellatum propè mirificam S. Auguſtini Baſilicam a Ciuibus etiam erectum, quod cum nuper annis ceſſerit, ex Patrum noſtrorum memoria nondum deletum eſt. Hinc denique in ipſo egregij Martyris anniuerſario die feſto, atque ſolenni, qui menſe Iulij (vt ante diximus) celebratur, tantam videre eſt Placentini Populi lætitiam, vt omnes ordines, omnes ætates in Domino geſtiant, exultent, & Sancti magnitudinem, quoad poſſint, ore, manu, precibus, & votis declarare conentur. Omnes enim gratiarum ergô ad ſacrum hoc, & inuiolabile Aſylum ſumma animi pietate, & religione conueniunt, in primiſque maximi Templi ampliſſimum Collegium ad Veſpertinas preces pridie Natalitia, Miſſam verò ipſo Natalitiorum die ſolenniter decantandam, vnàq; Reuerendiſſimus Placentinus accedit Epiſcopus; qui quidem ſacrum ipſum officium Pontificali habitu quandoque exornat, thuriſque libram ex pio, ac perantiquo ritu, quemadmodum etiam Sereniſſimi Ducis Quæſtor certam pecuniam, quotannis

defe-

deferendam curat : hoc idem faciunt & Illuſtris Ciuitãs vniuerſa, & ſingula Iuriſperitorum, Phyſicórum, Notariorum Collegia, mercatorumque, & artium omniũ conuentus: cuncti præterea Ciues, qui pro Populi pace, & concordia, rerumque omnium abundantia, & copia certatim vndique confluunt ad ſacroſanctas Diui Martyris omnium Patris, & Patroni Reliquias piè, & ſanctè colendas, oblationesque Aedi, & Altaribus hiſce gratiſſimè præſtandas. Atque, vt ſancta huiuſmodi conſuetudo perpetuò retineatur, & inuiolate obſeruetur, antiquum Placentiæ Statutum in rubrica 32. lib. 1. omnes etiam Villas, & Caſtra Placentina ad illo die afferendum quaſdam eleemoſynas, & munera impellit; hac item de re in ipſo Archiuio apparent Galeatij Vicecomitis, olim Virtutum Comitis, Mediolani Ducis, & Placentiæ Domini literæ Mediolani datę 14. Cal. Septembris 1391. vnà cum eius hac in Vrbe Prætoris Ludouici Viſtarini publico edicto 6. Cal. Iunij 1392. propoſito; & videri quoq; poteſt Franciſci Sfortiæ ſimiliter Mediolani Ducis, & Domini Placentiæ reſcriptum Vigleuani conceſſum 13. Cal. Martias 1469. Adoleſcentes item omnes, quotquot in Placentinis gymnaſijs ſtudio humanitatis, ac literarum dant operam, militari pompa expediti in equis, eam ipſam Diui Militis, & Martyris ANTONINI præclaram ſolennitatem varijs, ac di uerſis muneribus plurimùm augent: nec non orationibus ſanè doctis, & ornatiſſimis, verſibusque elegantiſſimis in publicum prolatis, eandem omnibus iucundiſſimam reddunt, & magnopere admirandam. Maiorum etiam morem feſto illo die quondam fuiſſe conſtat ex veteribus geſtis, vt curſoribus in ſtadio maximi pretij Ciuitas ipſa præmium proponeret; vnde Barnabam Vicecomitem præmium pretij florenorum auri 112. reportaſſe legimus anno 1372. Similiter in Inuentione

ne eiuſdem Idibus Nouembris rerum omnium mercatum quendam publicum, & maximo conuentu celebrem in Vrbe habebant per dies quindecim ex Caroli Magni Imperatoris priuilegio; quod poſtea comprobatum eſt à Ludouico ipſius filio anno imperij 6. & à reliquis etiam Imperatoribus, præſertim à Carolo Craſſo Imperatore optimo imperij ſui anno 1. Idibus Nouembris Incarnationis Domini 881. indictione 14.

Exterarum etiam gentium ſanè memorabilis religio, & obſeruantia.

Verum enimuerò in tantis Diui Martyris Antonini laudibus, atque Templi huius eximia dignitate, honoribusue explicandis; hoc loco illud non queo præterire, non tantùm apud nos celebrem eſſe clariſſimi ipſius Martyris memoriam, ſed in alias etiam Vrbes, & Orbis terrarum regiones longè eam, latèque diffuſam ſummo in honore ſemper habitam. In Vrbibus enim Parma, Cremona, & alijs permultis; in loco Gualdinengo, & in Plebatu Fornoui Cremonenſibus Caſtris: item in *Diœceſibus Bobij* ad locum Perducum, & Dertonæ in Pago S. Antonini appellato propè Mondondonum, Ciues illi, & incolæ tanti numinis participes iampridem effecti, propria huic Martyri Templa & ipſi condiderunt: in quibus etiam eidē Diuo ſingulis annis ipſo die 4. nonas Iulij ſacra ſolennia perſoluentes ſumma celebritate lætantur, imperatiſque Ferijs honeſtè exultant; Cremonæ autem ciues ipſi ea potiſſimùm ex cauſa, quod olim à Gallis Vrbe ſua expulſi eodem die ſeſe in libertatem vindicarint anno Domini 1522, cærea quoque dona ſacratæ Martyri noſtro Aedi, quæ ibi à Præpoſito cuſtoditur, libenti animo & fidium, & tibiarum concentu deferentes, Sanctum Martyrem ſibi Patronum inter-

inter alios ſuos, aſſiduis, gratisque vocibus enunciare non ceſſant, vt planiſſimè conſtat ex Decretis illius Ciuitatis, & ex carmine Camilli Becharæ Præpoſiti ad Ampliſſimos Cremonæ Decuriones de Diui ANTONINI Martyrio. Extant & in Regienſi territorio ad Quatuorcaſtella, item Capergnanicæ apud Cremenſes Ciues, alijsque in Oppidis, & locis antiqua non minus, quàm religioſa ſub nomine, & titulo huius Sancti Militis, & Martyris dicata Templa, licèt in illis ipſius anniuerſarium diem 4. nonas Septẽbris celebrari contingat. In loco autem Barbiani curiæ Ciriani ſupra Vrbem Parmenſem præclara etiam eidem Martyri memoria poſita eſt, quemadmodum & in Oppido Variſio Mediolanenſi Diœceſi ſubiecto; vbi piæ quædam ſacræ Virgines admirabili vitæ inſtituto florentes in perantiquo cœnobio, & Baſilica S. ANTONINI nomine extructa, & conſecrata propriam ipſius Martyris lectionem, quæ cum noſtris penè ad verbum conſentit, ex veteri Breuiario habent ſanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis: quo vtroque in loco eiuſdem Diui ſolennitas Idibus Nouembris (nempe ipſo Inuentionis die) præcipuè agitatur.

Celeberrimi Templi dignitas, & amplitudo.

SED, vt redeamus ad noſtra, neque illud ſilentio inuoluendum videtur, quòd, cùm alicui militaria inſignia Placentiæ olim conferenda eſſent, Imperatores, Regesue, aut Duces hac in ipſa Militis, & Patroni Aede id muneris, id dignitatis concedebant, vt de Manfredo Lando milite per Ducem Galeatium Vicecomitem creato tradit Locatus 1314. Quòd item Romani Pontifices in ſuis Apoſtolicis priuilegijs Templum hoc maximè honorabile, adeò colendum aſſeuerarunt, vt non alios, niſi dignos, idoneos, & eximia virtute inſignes in ipſo reſidere miniſtros decerent.

Quòd

Quòd denique ea de cauſa potiſſimùm ijdem illi Pontifices Maximi ex Illuſtriſſimis S. R. E. Cardinalibus plures hoc in loco Canonicos quodam tempore conſtituendos, aliosue aliquando ex ipſis huius Eccleſiæ Canonicis ad Cardinalitiam, alios ad Epiſcopalem dignitatem euehendos, putarunt.

Gregorij Decimi Pontificis Maximi antea hic Canonici inclytè geſta.

NEQVE verò illud omittendum cenſeo, quod admirabile quidem, ſed tamen veriſſimum eſt de Maximo, & ita in terris Optimo, vt nunc in cœlis Beatiſſimo Pontifice GREGORIO DECIMO, cuius grata, & ſancta recordatione mirum in modum animi noſtri recreantur. Hic antea Tedaldus Vicecomes vocatus, Placentinus, S. ANTONINI Canonicus annos triginta, & amplius nuncupatam de Lugagnano Præbendam maximè obtinuit, vti ex publicis patet Notariorum documentis, id eſt, Guidonis de muſſo 8. Cal. Decembris 1239. Alberti de Viloe, Cal. Februarij 1246. ac Rubaldi de Allo 14. Cal. Ianuarij 1261. Nonis Ianuarij 1263. & itidem Calend. Ianuarij 1264. Eo interim ſpatio, vrgente graui, & infeſta illa Friderici Imperatoris perſecutione in Romanã Eccleſiam per Gregorium Nonum ad Franciæ, & Germaniæ Regna miſſus cum docto, egregioq; viro Iacobo de Pecoraria Placentino Cardinali, & Epiſcopo Prænestino, Apoſtolicæ Sedis Legato, multa in illis partibus præclarè geſſit, vbi etiam recepit ampliſſimam Archidiaconatus Leodienſis dignitatẽ: Epiſcopatum verò Placentinum deferente poſtea Innocentio IIII. recuſauit. Sed, cum vir eſſet ſummæ probitatis, & doctrinæ, pacisque amantiſſimus, defuncto Clemente IIII. Illuſtriſſimi Patres poſt varias ipſorum per-

trien-

triennium ferè in Pontifice ſubſtituendo diſſenſiones, Viterbij, tandem anno 1271. coniunctis ſententijs, maximeq; conſiliario, & auctore S. BONAVENTVRA, eundem Tedaldum in Summum Pontificem elegerunt, quamuis in Syria voti cauſa tum agentem, nec illis omnibus Patribus cognitum; qui poſtea GREGORII. nomine accepto, Romæ Pontificia corona inſigniri ſe voluit. Ab eo in primis pace inter Venetos, & Genuenſes compoſita, magnum illud Lugdunenſe Concilium generale habemus ſecundo Pontificatus anno celebratum. Quo quidem in Concilio Græcorum Eccleſia, præſente Philippo Franciæ, ac Paleologo ipſorum Grecorum Imperatore in vnum cum Sancta Catholica Romana CHRISTI Eccleſia decima tertia vice conuenit. Ibi quoque ad baptiſmum quidam Tar-



tari Principes perducti, Rodulfoq; Comite in Imperatorē delecto, & confirmato, plurima pro ritu Conclauis ad tollendas diuturnas Patrum diſcordias, pro Terræ Sanctæ

ſubſidio,

ſubſidio, ac rebus alijs ad fidem, & Rempublicam Chriſtianā, non minus rectè gubernandā, quā latius propagandam, maximè neceſſarijs Decreta ſancita ſunt; quorum Decretorum magna, & præcipua pars in Decretalium Sexto conſcripta reperitur. Ibi præterea ab ipſo Pontifice GREGORIO Cardinales creatos non ignoramus eundem S. BONAVENTVRAM Epiſcopum Albanenſem ordinis Fratrum Minorum, Vicedominum de Vicedominis Placentinum ſororis filium, eiuſdem ordinis, Epiſcopum Prçneſtinum: Ioannem pariter Vicecomitem Placentinū eius affinem, nec non Petrum de Tarantaſio Gallum, & Petrū Iuliani Luſitanum, probitate omnes, & doctrina prçſtantiſſimos viros: quorum poſtremi duo deinceps ad Petri ſoliū euecti, Innocentius ille V. hic Ioannes X X I. ſunt appellati. Demum abſoluto Concilio, cum optimus, ſapientiſſimuſque Paſtor è Gallia Romam rediret, in Etruriam tranſgreſſus Aretij 4. Idus Ianuarij 1275. ſanctitate plenus, magnò cum omnium luctū migrauit è vita. Eius Corpus in Aretina Eccleſia ſepultum eſt, vbi iam multis miraculis fulget ex probata Hiſtoricorum omniū *relatione, & ex Chronicis* Franciſcanorum par. 2. lib. 2. cap. 7. & 11. & lib. 4. cap. 1. ac etiam ex S. ANTONINI Florentiæ Archiepiſcopi veriſſimo teſtimonio in tertia Chronicorum parte tit. 20. cap. 2. Vt autem ſummæ erga hunc locum obſeruantiç ſuæ memoriam apud poſteros diuturnam, & penè immortalem redderet, idem glorioſus Pontifex, nunquam ſatis dignè laudatus, cum adhuc eſſet in terris, ſacram hanc Aedem maiorem in modum auxit, ornauitque tum ſacris quibuſdam indumentis, quç maximè relata videbis in ſacræ ſuppellectilis libro Idibus Maij 1346. deſcripto per Ioannem de filijs Michaelibus notarium, tum etiam perpetua ab ipſo erecta Præbenda, quæ Diui Papæ GREGORII dicitur,

tur, annexa modò Diaconali Manſionariæ de Puteo pagano, vt perſpicuè docet egregij viri Ioannis Petri Dordoni Notarij publicum monumentum 12. Calen. Iulij 1601. confectum.

Azonis Præpoſiti, Cardinalis optimi commemoratio gratiſſima.

Azonem addo S. Antonini Præpoſitum ab Innocentio Pontifice Secundo Diaconum, mox S. Anaſtaſiæ Presbyterum Cardinalem creatum; quem nihilominus tamen Præpoſituram ipſam adhuc retinuiſſe, atq; hîc, quandiu in vita fuit, reſediſſe teſtantur non minus quàmplurimæ ipſius Cardinalis, & Præpoſiti locationes, quas Inueſtituras dicimus, vnà cum Canonicis celebratæ, quæ in Archiuio ad perpetuam poſteritatis memoriam extant, eiuſq; manu ſubſcriptæ, per Azonem, ac Obertum ſacri Palatij notarios conſcriptæ ab anno 1130. ad annum vſque 1140. quàm etiam plumbo conſignatæ literæ ipſius Innocentij Papæ, quas ad Canonicos ſcripſit de morte eiuſdem Azonis Cardinalis, & Præpoſiti in hæc verba.

INNOCENTIUS Epiſcopus ſeruus ſeruorum DEI Dilectis filijs Canonicis S. ANTONINI Placentiæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. De morte quidem chariſſimi filij noſtri Azonis Presbyteri Cardinalis Præpoſiti veſtri tantò amplius condolemus, quantò magis perſonam eius arctius amabamus, atque in ipſius obitu maiora S. R. E. et nobis obſequia ſunt ſubtracta. Verùm, quia in cauſa huiuſmodi vna nobis reſtat conſolatio Saluatoris, Vniuerſitatem veſtram hortamur in Domino, quatenus in vnitate, & concordia perſiſtatis, atque idoneam perſonam inuocata Spiritus Sancti gratia vobis in Præpoſitũ eligatis, per cuius induſtriam ipſa Eccleſia DEO propitio rectè valeat gubernari, voſque ſub eius regimine tàm ſpiritualiter, quàm temporaliter proficere valeatis: hoc ſcientes, quod perſonas & locum veſtrum affectique paterna diligimus, & in quibus expedit, vobis conſilium, & auxilium auxiliante Domino exhibebimus. Datum Romæ 5. nonas Octobris,

C Pro

Pro cuius Azonis anima legatum illud habemus, quod idem Obertus Notarius à Ioanne Presbytero donatum 9. Cal. Martij 1141. teſtatum reliquit. Ab ipſo autem Azone Cardinali eiuſdem Innocentij iuſſu Baſilicam Ferrariæ, quam Gulielmus Adelardus Ciuitatis Princeps ædificauerat, conſecratam refert Carolus Sigonius anno 1135.

Petri Diani Canonici, deinde Præpoſiti, ſimiliter Cardinalis, & Legati honorifica mentio.

PETRVM etiã Dianũ Placentinũ, qui primũ ſacri huius loci Canonicus, deinde Præpoſitus extitit, ex certiſſimis ſcripturis publicis Gerardi, & Ricardi, Alberti de Trauazano, Alberti de Caſtello, Petri Sauini, & Ioannis de Monte pariter ſacri Palatij Notariorum ab anno 1162. ad annum vſque 1186. Veronæ Cardinalem Diaconum S. Nicolai in carcere à Lucio III. Pont. 1184. & à Clemente III. Presbyterum S. Ceciliæ creatum 1188. inſpicere eſt apud Onuphrium Panuinium, vbi de Cardinalibus agit.

De Decreto exemptionis Ciuitatis Placentinæ.

CVI quidem optimo, & præſtanti viro quantum honoris deferre, quantamue gratiam in omne tempus habere debeat hic locus, imò tota Ciuitas, & Eccleſia ipſa Placentina, ex eo maximè dijudicari poteſt, quod, cum amplius ſeptingentos nouem, ac viginti annos Metropoli Rauennæ olim addicti & obſtricti eſſemus, ipſe in hoc vnum incubuit, plurimumque laborauit, vt iam ſoluti, ac ſemel in veterem libertatem vindicati, eius ope, & opera exemptionis munere perpetuo frueremur, ex literis, quas de Decreto eiuſdem exemptionis noſtræ ab ipſo Petro Cardinali Præpoſito ſcriptas inuenimus ſub hac forma.

Vene-

Venerabili in CHRISTO Patri Tedaldo DEI gratia Epiſcopo Placentino, & Maioris Eccleſiæ, & S. ANTONINI Canonicis, & Archipresbytero, & Conſortio Capellanorum, Petrus eadem gratia S. Nicolai in carcere Diaconus Cardinalis, & S. ANTONINI Præpoſitus Salutem in ſalutis auctore. Prudentiam veſtram noſſe volumus D. Gulielmum Rauennatem Archiepiſcopum, virum vtiq; prouidum, diſcretum, ac literatum, & multis virtutibus præditum frequentiſſimam de Epiſcopo, Clero, & Populo Placentino depoſuiſſe querelam, in cuius depoſitione aſſidue perſeuerat aſſerens Eccleſiam ſuam aduerſus vos multis priuilegijs eſſe munitam, è contra aſſeuerans vos nullam omnino habere defenſionem. Nos verò hæc audientes, & pro defenſione noſtræ Ciuitatis honoris ſolicitè vigilantes Regiſtra Summorum Pontificum diligenti indagatione perquiſiuimus, & in Regiſtro Beatiſſimi Paſchalis II. Decretum exemptionis Ciuitatis noſtræ à iugo Rauennæ inuenimus, cuius Decreti tanta eſt auctoritas, quantum ſi eſſet priuilegium manu D. Papæ ſignatum, & bulla munitum, & Cardinalium ſubſcriptione roboratum. Præfati Decreti verba ſunt hæc, Anno Incarnationis Domini 1106. celebrauit Dominus Papa Paſchalis Concilium &c. Hæc quidem vobis ſcribimus non conſultantes, vt cauſam intretis; Sed vt ea in Archiuijs, & memoria habeatis, & poſteris relinquatis, vt ſi fortè aliquando contigerit Ciuitatem noſtram non poſſe declinare iudicium, præſentis Decreti beneficio vtatur, & priuilegio defendatur.

Alia item eiuſdem Petri Diani Cardinalis facta memorabilia.

IDEM Petrus Cardinalis Dianus S. Romanæ Sedis in Lombardia Legatus cum eſſet, in Monaſterio S. SAVINI, Cleri, conſulum, & totius Placentini Populi rogatu electionem Arditionis in Epiſcopum Placentiæ factam confirmauit 5. Cal. Iulij 1192. poſtea nobiliſſimũ tapetem ab Henrico quondam Friderici Imperatoris filio receptum anno 1193. donaſſe fertur huic eidem Baſilicæ; in qua etiam Canonicalem Præbendam XIV. inſtituit, Grimerio

Placentino Epiſcopo in ſuo diplomate Statuti de XV. Canonicorum numero editi id affirmante; quod idem planè confirmauit & Iacobus Bagarotus Capoaciæ Archidiaconus, ac S. Antonini Canonicus, qui olim 6. Calen. Octobris 1221. per publicum Gulielmi Cogni notarij documentum ad breuiaturas (vt ipſorum notariorum verbo vtar) Ioannis de Supercło eidem huic celeberrimo loco fundum in Roſoleto donauit pro anima Petri Cardinalis quondam auunculi ſui, pro ſe, parentibusque ſuis, ad incrementum Præbendæ ab ipſo Petro Cardinali erectæ.

Aliorum quoque Cardinalium, Epiſcoporum, ac Prælatorum, & nobilium virorum hoc in Templo olim Canonicorum celebris memoria.

Addo præterea hîc Angelum Acciaiolum S. Laurentij in Damaſo Cardinalem Florentię nuncupatum eandem ipſam de Lugagnano Præbēdam obtinuiſſe ab anno 1375. vt aliam quoque de Suzano (quam priùs 1379. Thomas SS. Nerei, & Archillei Presbyter Cardinalis adeptus fuerat,) ab anno 1383. vſque ad 1403. Eodem etiam tempore F. Angelum de Anna Cardinalem de Laude illam de Potentiano, quam deinde habuit Cardinalis Bernardinus de Lunate Papiēſis 1493. Alium item Bernardinum S. Crucis in Hieruſalem Legatum à Latere illam de Burgeto 1502. quam etiam Petrus Cardinalis Rheginus S. Ciriaci in Thermis conſecutus eſt anno 1507. Nec non ſimiliter Ioannem Baptiſtam Cicadam S. Clementis Cardinalem Prępoſituram ipſam obtinuiſſe 1555. Quòd ſi Epiſcopos, & Archiepiſcopos quæras, intelligere licet hinc olim Bernardum Rondanam Placentinum Iuriſconſultum Eccleſię huius Præpoſitum ad Archiepiſcopatum Saldinienſem; Ioannem Surdum (de cuius munere, Christi Coronæ Spinam veniſſe ſupra demonſtratum eſt) itidem Placentinum

centinum Præbendę de S. Georgio Canonicum ad Epiſcopatum Vachienſem per Vrbanum V. aſſumptos fuiſſe 1363. ſic ante illos Albericum Vicecomitem 1294. Placentinum huius quoque Templi Canonicum ad S. Placentinã Sedẽ euectum. Deinceps verò Ioannem Mundanum Decretorum Doctorem, & Baptiſtam Bagarotum Placentinos hîc etiam Canonicos, nempe hunc ad illam de Furnarina 1503, & illum ad aliam de Ralio 1470 Bobienſi Eccleſiæ præfectos, & qui adhuc viuit, Ioannem Andream Calegarium Epiſcopum Britonorienſem ad eam de Potentiano Canonicum extitiſſe 1565. ad quorum etiam confirmationem non deſunt, quæ videas, publica Notariorum monumenta præſertim Benedicti de Filijs Michaelibus 1362. 8. Idus Auguſti, 1363. 11. Cal. Auguſti, & 5. Idus Februarij, 1364. 4. Nonis Octobris, 1365. Nonis Aprilis 1366. 4. Nonis Martij, 1379. 11. & 7. Cal. Februarij, 1380. Cal. Martij, Antonij de Sariano 1388. 14. Cal. Februarij 1389. 17. Cal. Decembris, & 13. Calen. Martij, 1391. 3. Non. Decembris, Ioannis Iacobi Ritii 1483. Pridie Idus Septembris, Antonini Romignani 1493. 8. Cal. Februarii, 1502. Cal. Decembris, 1507. 3. Idus Octobris, & Cal. Martii, 1508. 4. Idus Nouembris, & Innocentii Nibii 1555. Pridie Calen. Ianuarii. Mitto autem breuitatis gratia quamplurimos alios Prælatos, innumerabiles Romanorum Pontificum, quos vocant Capellanos, familiares, cubicularios, ſacri Palatii Auditores, & id genus alios, qui quondam Canonici, complures etiam Placentini non tam ſpectata generis dignitate, quàm præclaris moribus, & doctrina locum hunc apud omnes mirandum, memorabilem, celeberrimumque reddiderunt. Taceo Ioannem, Guidonem, Gulielmum, & alios familiæ à Porta Canonicos, nobiliores, & affines S. Gerardi à porta Placentini. Hic olim

Poten-

Potentiæ in Apulia (vnde nobiles ipſi Portæ cognomen etiam de Pulia deducunt) Epiſcopus multis virtutum, & miraculorũ ſignis adeò claruit, vt à Calliſto Pontifice II. in



Sanctorum numerum deinceps relatus apud illos Populos honorificè colatur, eiusque dies feſtus ſolennis ibi 3. Cal. Nouembris quotannis celebretur. Nihil dicam de Grimerio, & Bonifacio Vicecomitibus Canonicis 1268. & 1297. ipſius B. Papæ Gregorii Decimi propinquis, & neceſſariis. Nihil de Philippo Vicedomino Vicedomini Cardinalis Præneſtini nepote, qui, cum Senonenſis Eccleſiæ Canonicus eſſet, in Præpoſitum S. Antonini electus fuit 1275. nihil de Landulfo Iulano Alexandri IIII. Pontificis conſanguineo, & ſcriptore 1260 Canonico: nihil denique de Alberto, Oberto, ac Ioanne Dianis Petro quondam Cardinali Præpoſito coniunctis pariter Placentinis, hicq; Canonicis 1175. 1194. & 1253.

Indulgentiarum munera, & conceſſiones perpetuæ.

Qvo verò maiori religione, ac animi pietate Fideles ad

hunc

hunc locũ verè ſanctum, verè Deo dicatum ſæpius inuiſendum promptiores fierent, Omnibus quidem ipſum piè Viſitantibus in S. Martyris Antonini Vigilia, & ſolenni die Septem annorum Indulgentiam perpetuis duraturam temporibus conceſſit Iulius II. anno 1512. 4. Nonas Auguſti. Similiter eodem die mille annos Indulgentiæ, & alijs temporibus centum Leo X. anno 1513. 11. Cal. Auguſti; præter alias Clementis VII. aliorumque Pontificum, maximas, & diuerſas largitiones, quæ in libro Priuilegiorum huius Templi deſcriptæ reperiuntur. Clemens quoq; VIII. quem hodie Summum Pontificem ſumma & animi vigilantia, & rerum proſperitate pro Dei Eccleſia dies, noctesque laborantem habemus, & admiramur, eandem ſacram hanc Aedem per quinquennium in Feria 5. Cœnæ Domini, & in feſtis Natalitijs diebus Sanctorum Antonini, & Opilii, Septem annorum, & totidem Quadragenarum munere cumulauit anno 1602. 9. Calend. Iunii, vt ex eius diplomate videre eſt, cuius illuſtre procemium non eſſe hic omittendum cenſui, cum maximè ad rem noſtram faciat ſub his verbis.

CLEMENS Papa VIII. Vniuerſis CHRISTI Fidelibus præſentes literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem ac deuotionem, per quas eorundem ſalus æterna comparatur, cæleſtibus Eccleſiæ donis propoſitis Fideles ipſos libenter inuitamus. Sanè cum, ſicut accepimus, Eccleſia Collegiata S. ANTONINI Placentiæ, quæ in ea Ciuitate valde inſignis, & poſt Cathedralem alijs dignior exiſtit, ſacris præſertim eiuſdem S. ANTONINI Martyris ex glorioſa militum Thebæorum legione Placentiæ Patroni, & defenſoris, nec non Sanctorum CASTI, & DESIDERII Martyrum, ac S. VICTORIS primi ipſius Ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris ac S. OPILII Diaconi Placentini & Confeſſoris corporibus ibidem quieſcentibus decorata exiſtat. Vnaque ex SPINIS Coronæ Domini noſtri IESV CHRISTI ac parte Brachij cum manu

nu

nu, & digitis pueri ex Sanctis Martyribus Innocentibus ab Herode crudeliſſimo Rege interfectis ſimiliter, vt piè creditur, ornata refulgeat. Nos, vt de cætero Eccleſia prædicta in maiori veneratione habeatur, & CHRISTI Fideles eò libentius deuotionis cauſa ad illam accedant, quò ex hoc cœleſtis gratiæ donis prædictis vberius ſe conſpexerint eſſe refectos, de omnipotentis DEI miſericordia &c.

Viſitantibus verò Altare maximum 8. Idus Maii, quo die illud dedicatum, & conſecratum eſt, 40. dies Indulgentiæ ſingulis annis donauit Illuſtriſſimus Cardinalis PHILIPPVS Sega tunc Placentiæ Epiſcopus 1583.

His igitur, LECTOR, intellectis huic ſanctę & venerandæ Baſilicę etiam atque etiam gratulare, talem, ac tantam ipſius dignitatem extolle; DEVM OPTIMVM MAXIMVM in Sanctis ſuis mirabilem ſuppliciter, aſſidueque roga, vt quorum maximè gloriam hinc admiraris, plurimas, ac pręſtantiſſimas eorum actiones rectè conſulendo, fortiter ſuſtinendo, iuſtè, & piè viuendo, tibi etiam feliciſſimè perſequi, & imitari concedat.

Vale in Domino.

Conceditur, vt publicetur, ac imprimatur.
Fr. Bonif. dè Vigleuano Inquiſitor Placentiæ.
Ceccolinus Margarutius Vicarius Generalis.